

† Pl. R. P. Iosephus Schwarz, Proc. Gen. (1849-1927).



Litteris circularibus die 5 mensis Februarii datis  
Rm̄us P. Generalis promisit fore, ut de defuncto ve-  
nerando Procuratore Generali plura in Analectis dice-  
rentur. Nunc itaque ad promissa haec implenda acce-  
dimus.

Parentes eius Antonius Schwarz cum uxore Veronica  
Trinbach e Bavaria in Americam migraverant et Novae  
Aureliae (*New Orleans*) consederant. Antonius pater in mensa argentaria  
munere conspicuo fungebatur, et mammona a religione ac pietate non  
abstractus, caritatis officiis exercendis plurimam operam dabat. Praesertim  
orphani munificam eius manum experti sunt, et si quando se non ditiorem  
esse dolebat, id non sua causa dicebat, sed quod pauperibus operibusque  
caritatis copiosius succurrere non posset. Mater quoque mulier fortis ac  
pia fuit, mariti optimi optima consors.

Prima huius matrimonii vere christiani proles Iosepha erat, nata  
anno 1847. Duobus annis post, kalendis Augusti anni 1849, Iosephus no-  
ster natus est numerumque liberorum clausit. A teneris annis ambo et  
verbis et exemplis parentum ad sinceram pietatem educati sunt. Praeser-  
tim mater id spectasse dicitur, ut liberorum animos in illam viam duce-  
ret, qua ad vitam religiosam capessendam traherentur. Res etiam mira  
nobis tradita est. Cum Iosephus etiamtum puer esset, mater quondam  
per somnum eum Romae ad Summi Pontificis pedes provolutum bene-  
dictionemque ab eo accipientem vidiit. Quod somnium cum mane Iosepho  
miranti narravisset, pro certo praedixit eum Romanum profecturum esse, se  
enim hanc rem non in vanum per quietem vidisse. Quidquid hoc erat,  
constat Iosephum non solum Romanum vidisse, sed triginta tres annos Ro-  
mae degisse et persaepe ad Summorum Pontificum pedes provolutum be-  
nedictione Apostolica confortatum esse.

Ipsa Providentia duce Novae Aureliae loci temporisque adiunctis Io-  
sephus ad munera in vita posteriore obeunda praeparatus est. Domi enim  
a parentibus linguam germanicam, e familiari civium consuetudine gal-  
licam, in scholis deinde anglicam bene didicit; quibus cum denique Ro-  
mae italicam addidisset, quam bene ad officia Consultoris ac Procuratoris  
Generalis instructus fuerit, neminem latet. In patria itaque urbe in schola  
SS. Trinitatis primis litterarum elementis imbutus, ibidem in gymnasio  
Patrum Societatis Iesu humanitatis et fortasse etiam philosophiae studiis  
absolutis, iuxta matris desiderium, patris quoque benedictione firmatus,  
vitam religiosam elegit et in novitiatum nostrum Annapoli ingressus est.  
Soror iam prius Congregationem Sororum S. Crucis elegerat et in Gal-

liam profecta est, ubi et ipsa Assistentis Generalis munere functa in civitate Précigne adhuc octogenaria vivit.

Iosephus in novitiatu Magistrum habuit Redemptoristam conspicuum, P. Henricum Dauenhauer. Die S. Teresiae sacro a. 1868 votis religiosis in totum vitae cursum Dei servitio se devovit. Et fidem tum Deo datam numquam violari permisit. Theologiae deinde disciplinis Ilchestriae operam dedit, et die 6 Iunii 1872 Philadelphiae in ecclesia nostra S. Petri Apostoli ab Archiepiscopo Wood ad sacerdotii gradum evectus est. Qui seculi sunt quinque anni, etiam ad praeparationis tempus computandi sunt. Duos annos in studentatu Ilchestriae philosophiam docuit, quibus elapsis anno 1874 Annapoli, Magistro suo P. Dauenhauer Rectore, in animarum curam incubuit, quo tempore etiam turri ad ecclesiam nostram aedificandae operam dedit. Anno 1877 alterum novitiatum peregit.

Die 22 Decembris 1877 P. Schwarz Ilchestriae iuvenatum regendum suscepit. Cum enim a. 1875 domus ad occidentem versus sitae a Provincia Baltimoresi separatae et in novam Provinciam S. Ludovici coniunctae essent, P. Schwarz in Provincia Baltimoresi relictus iuvenati praefectus est. Cum iuvenatu deinde diu vita eius coaluisse videbatur. At non tranquillus in iuvenatu iam optime instructo laborare potuit. Cum enim Ilchestriae domus satis apta non esset, tandem a. 1880 in North East domum quandam acquirere contigit, quam sectarii Anabaptistae et Methodistae relinquere coacti erant. Itaque P. Schwarz cum iuvenibus in North East se contulit domumque ac iuvenatum simul gubernandum suscepit, nec discessit inde, donec a. 1890 in Provinciam S. Ludovici translatus in *Windsor Springs* seu *Kirkwood* iuvenatum huius Provinciae et annexam domum religiosam tribus sequentibus annis gubernavit.

Ita per tria lustra et amplius Patris Schwarz vita iuvenibus ad ingressum in Congregationem aspirantibus et pietatis spiritu et scientiis congruis imbuendis dedita fuit. Vigilantissimus erat, ut Lectores officiis suis rite fungerentur. In educandis vero iuvenibus ad solidum pietatis studium ipse indefessus laborabat; praecipue vero id sibi cordi habuit, ut homines constantes firmosque educaret, qui scirent aestimarentque id, quod amplexuri essent in novitiatum ingredientes. Ad hoc assequendum ipse animi gravitatem coniungebat cum externa affabilitate, qua animos iuvenum sibi conciliaret. Sed licet iuvenatus curis occupatus, retineri se non est passus, quin in missiones quoque proficiseretur et exercitia spiritualia dirigenda susciperet, utpote salutis animarum semper studiosus laborumque apostolicorum amantissimus. Cumque artis cantandi ac rei musicae peritissimus esset, et in iuvenatu scholam cantorum dirigere in deliciis habuit et postea Romae diu organoedium egit.

Cum igitur annos sedecim regendis iuvenatibus egisset, a. 1893 Provinciae S. Ludovici Superior creatus est. Sed hoc munus non ultra annum

gessit. Nam R̄m̄us P. Generalis Mauron in mensem Februarium a. 1894 Capitulum generale convocavit, quod deinde eo mortuo celebratum est. P. Schwarz, in hoc Capitulo Consultor Generalis regionis Americanae electus, Romae mansit, nec iam usque ad mortem stationem mutavit. Cum enim quindecim annis post R̄m̄us P. Raus in Capitulo generali munere supremi moderatoris se abdicasset et R̄m̄us P. Murray in eius locum suffectus esset, P. Schwarz a. 1909 Procurator Generalis creatus est. Anno 1921 tertium Capitulo generali iam aeger interfuit. Paulatim malum ingravescere coepit, et ultimis quinque vitae annis, cum pedes grave corpus expedite ferre recusarent, plurimum temporis in cella sua transegit, tantum in sacellum chororumque se conferens ad sacram faciendum, SS. Sacramentum visitandum, viam Crucis obeundam. Rarissime autem iam domo exire potuit, cuius rei causa a Capitulo generali a. 1921 socium acceperat P. Alphonsum Lemieux e Provincia Canadensi, qui nunc ei in munere Procuratoris Generalis suffectus est.

Consultor et Procurator Generalis praestantissima sane Congregationi servitia praestitit, quorum tamen longe maxima pars silentio abscondita est. Initio caelum Romanum ei minus salubre fuisse videtur. In chronicis domus generalitiae legimus eum anno 1896 in Americam missum esse, ut in utraque ibi Provincia, Baltimoresi et S. Ludovici, visitationem extraordinariam perageret, simul vero, ut valetudinem aliquantum labefactatam restitueret. Viribus deinde recuperatis revertit. Nec voluptatis causa factum est, quod etiam annis 1901, 1913, 1919 Americam petuit. Provinciae quoque Canadensis cum insulis Antillis et Siculae visitationem extraordinariam egit. Romae in domo generalitia inter duo Capitula a. 1894 et a. 1909 simul Ministri perpetui munus gessit, rerum gerendarum sollertissimus necessitatibusque corporum diligentissime providens.

Verum qui in America, dum iuvenatum moderatur, a laboribus apostolicis plane abstinere non potuerat, etiam Romae salutis animarum curandae tempus et opportunitatem invenit. Alumni collegii Americani, cum s. ordines suscepturi sunt, in domum nostram devertere consueverunt sacrarum exercitationum causa, quem laborem P. Schwarz, dum potuit, alteri non permisit. Etiam extremis vitae annis, cum iam cubiculo fere detineretur, saepius singulis annis alumnos illos ad s. exercitia in cellam suam convocabat eisque meditationibus et conferentiis consilia optima vitae sacerdotalis instituendae dabat. Monita gravia hilari familiaritate condiebat, eos pueros suos vocitans (*my boys*). Ita factum est, ut non solum alumnos ad sacros ordines recte suscipiendos rite disponeret, sed etiam, ut sacerdotes illi, quorum nonnulli episcopali dignitate insignes iam sunt, Congregationi nostrae amicitia ac favore rependerent, quod a P. Schwarz in Urbe acceperant. Et venientem eum subinde in Americam maximo semper gudio exceperunt ac festis institutis celebrarunt.

Nec satis. In agro Romano (*Campagna*) multi incolae dispersi sunt, qui ab ecclesiis remoti distant. His ut succurreretur, ex Urbe institutum erat, ut diebus dominicis et festis sacerdotes urbani foras properarent, sacrum in sacellis facerent, verbum Dei praedicarent, confessiones hominum illorum desertorum exciperent. Cum autem nobis pastorum cura ad turrim trium capitum (*Torre tre Teste*), octo chiliometra a Porta Urbis Maiore distantem assignata esset, Patri Schwarz per multos annos illuc properare et hominibus pauperibus succurrere in deliciis fuit.

Numquam P. Schwarz videres otiosum. Quidquid ab officii laboribus supererat temporis, id vel legendis libris vel orationi tribuebat. Legendo semper delectabatur, et mirum est, quot qualesque libros perlegerit atque relegerit. Praeter multos libros lingua anglica, gallica, italica conscriptos opus plurium voluminum *Apologie des Christentums* (Apologia religionis christiana) a clarissimo P. Alberto Weiss O. P. conscriptum praecipue amavit. SS. Patrum opera semper in conclavi tenuit legitque, historias Summorum Pontificum a Ludovico Pastor conscriptas, cum in refectorio lectionem ob aurum tarditatem non intellegereret, ipse scrutatus est, et ultimis vitae mensibus historiam universalem a Graecensi professore Ioanne Weiss viginti octo voluminibus conscriptam et a Richardo Kralik ad nostra usque tempora perductam permittente Rmo P. Generali emendam curavit primusque legere coepit.

Orationis autem non minus erat amantissimus. Quamquam pedes iam aegre eum ferebant, tamen cotidie non solum sacram fecit, sed etiam ad benedictionem vespertinam in chorum ecclesiae corpus traxit et in oratorio viam Crucis peregit. Rosarii praesertim fuit amicus. Saepissime, cum eum inviseremus, rosarium recitantem invenimus, ita ut eum solis quinque decadibus praescriptis contentum non fuisse credas.

Amoenissimae erant eius collocutiones. De rebus seriis loquebatur, sed etiam iocos admiscere vel a colloquente admisceri leniter surridens non respuebat. Semper autem ad res iudicandas quascunque fidei mensuram adhibuit ac sensum vere catholicum. Congregationem nostram toto animo amabat, et quidquid ad eius profectum conducere existimaverat, id provehere studebat. Americanas Provincias priorem in corde animoque eius locum occupavisse quis est, qui miretur vel invideat? At longo muneris sui usu omnes Provincias bene noverat, et munere Procuratoris ita fungebatur, ut omnibus prodesset. Id praecique ultimis annis Provinciae belli cladisque calamitatibus prae ceteris afflictæ expertæ sunt.

Romae, cum Procuratoris munus ad multa dicasteria eum perduxisset, magna omnium aestimatione fruebatur multique etiam Emi Cardinales maximi eum faciebant. Cum quinquagesimum religiosae professionis diem anniversarium ageret, Benedictus PP. XI benedictionem Apostolicam propria manu scriptam ei misit, SS. autem Dominus noster, Pius PP. XI, cum

ad aurea sacerdotii festa benedictionem ei impertiret Apostolicam, ad nomen suum propria manu iubilarii laudem vere magnam adiecit, eum Dei servum bonum et fidelem vocans.

Ad vitae labores crucis merita addere volens Deus ultimis praesertim annis, ut iam diximus, corporis miseriis eum invisit afflxitque. Quas senex patienter toleravit, numquam conquerens, sed semper animi vultusque hilaritatem servans. Quomodo tamen paene ex improviso ultimo mensis Ianuarii die animam Deo reddiderit, R̄mus P. Generalis iam litteris circularibus optime narravit (*Anal. VI*, 71). Iusta funebria permulti eius nostrique amici honorarunt, alumni autem collegii Americani, grata erga dilectum patrem animo ducti, concentu musico celebraverunt. Natus erat annos septuaginta sex, menses septem. In campo Verano ad basilicam S. Laurentii cum sodalibus permultis sonum tubae angelicae ad resurgentium vocantis exspectat. R. i. p.!